Jahresbericht

des

Königlichen [illegible]mnasii zu Lyck

[illegible] Schuljahres

von Michaelis [illegible] bis zu Anfang August 1873.

Inhalt: 1) Schulnachrichten vom Director;
2) Abhandlung des Oberlehrer G. Kopetsch: De differentia orationis Homericae et posteriorum epicorum in usu epithetorum certis substantivis vel certo substantivorum generi plus minus firmiter adhaerentium.

Zur

öffentlichen Prüfung der Schüler

und zur

Entlassung der Abiturienten

am Freitag den [illegible]1. August c.

ladet ergebenst ein
der Director
Prof. Dr. Hampke.

Kopetsch, G.

Lyck, [illegible]873.
Schnellp[illegible]ndruck von Rudolph Siebert.

De differentia orationis Homericae et posteriorum epicorum in usu epithetorum certis substantivis vel certo substantivorum generi plus minus firmiter adhaerentium.

De usu orationis Homericae et posteriorum epicorum scribentem vix opus esse videtur pluribus exponere, quanta sit haec quaestio, quantum facere possit ad distinguenda integra quae sunt a subditiciis scriptaque in suam quodque aetatem referenda. Ac ne ego quidem quaestionem, etiamsi in exiguum gyrum coacta sit, inutilem suscepisse videor, quum mihi propositum sit de differentia orationis in usu epithetorum certo substantivorum generi plus minus firmiter adhaerentium scribere. Epithetorum autem nomine non solum adjectiva continentur, verum etiam substantiva, quum constet a veteribus grammaticis nihil statutum esse nec statui posse, quo substantiva ab adjectivis discernantur (v. Lobeck. Paralip. Dissert. V). Priscianus ait II. p. 74: Adjectivum est, quod adjicitur propriis vel appellativis, et significat laudem vel vituperationem vel medium vel accidens unicuique. Accidens id est suum uniuscujusque, ut niger corvus et altum mare. Inveniuntur tamen in propriis quaedam hujuscemodi, ut Gradivus Mars et Ennosigaeus Neptunus et Quirinus Romulus etc. — A graecis grammaticis ea quae accidens uniuscujusque significant *ἐπίθετα κατ' ἰδιότητα* s. *εἰς ἰδιότητα* dicuntur. Velut Eustathius p. 1147,56: *τὸ δὲ Κυλλοποδίων οὐ σκωπτικῶς Ὅμηρος ἔφη σιλλογραφῶν εἰκῆ, ἀλλ' ἢ κατ' ἰδιότητα ἢ πρὸς ἀπόδειξιν.*

Ut certus autem ordo servetur, epitheta pro substantivorum, quibus ab Homero jungi solent, varietate disponere placet sic, ut primum de animantium, tum de rerum epithetis disputetur.

Pars prior.

De animantium epithetis.

Cap. I. De epithetis, quae diis plerumque ab Homero tribuuntur.

1. Ἀγκυλομήτης, quod veteres lexicographi *σκολιὰ βουλευόμενος* i. e. callidis consiliis utens, versutus — explicant, apud Homerum perpetuum est attributum Croni (Saturni), qui Uranum patrem dolo cepit, et praeter unum locum Δ, 59, quo loco

nominativus ἀγκυλομήτης positus est, in hac verborum conclusione legitur: **Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω** B, 205, 319, I, 37, M, 450, Σ, 293, φ, 415. Quem usum Hesiodus plerumque servavit: Theog. 19, 137, 168, 493, 495; bis tamen etiam Prometheum hoc epitheto insignivit: Theog. 546 et Op. 48. Oppianus denique etiam vulpem (κερδώ) appellat ἀγκυλόμητιν Halieut. II, 107; forma autem in — ις terminata facta est ad exemplum Homerici δολόμητις, quod praeter δολομήτης in usu est.

2. Ἐρίγδουπος et ἐρίδουπος procul dubio idem sunt eorumque usus tantummodo ex metri necessitate pendet. Apud Homerum quidem usu venit, ut ἐρίγδουπος epitheton sit Jovis tonantis: E, 682, H, 4, 11, K, 329, M, 235 etc., excepto uno loco Λ, 152: ἐρίγδουποι πόδες ἵππων; ἐρίδουποι autem res dicantur, inprimis porticus (αἴθουσα): Ω, 323; γ, 399, 493; η, 345; ο, 146, 191; semel fluvii ϰ, 515. Hesiodus, ni fallor, non plus semel vocabulo ἐρίγδουπος usus est et Homerico quidem modo de Jove Theog. 41; alias aliis apud Homerum non obviis epithetis Jovem tonitru potentissimum exornavit, quod genus sunt βαρύκτυπος Theog. 388 et ἐρισμάραγος ib. 815. Oppianus Hal. I, 75: ἐριγδούποιο θαλάσσης. Apud Empedoclem denique ἐρίδουπος diverso ab Homero intellectu est, nam ἀκοὴν ἐρίδουπον v. 51. pariter ac Parmenidis ἠχήεσσα ἀκοή v. 54 interpretandum est: auditum sono impletum vel percussum. —

3. Νεφεληγερέτα. Ex νεφέλη et ἀγείρω ortum eum significat, qui nubes cogit atque in Homeri carminibus solenne est epitheton Jovis. In usu autem sunt Homero nominativus νεφεληγερέτα: A 511, 560; Δ, 30; E, 888; H, 280; Ξ. 293, 341; O, 220; Υ, 19; X, 182; Ω, 64; α, 63; et genetivus aeolicus νεφεληγερέταο: E, 631; Υ, 10; Φ, 499. Utroque casu pariter usus est Hesiodus: Op. 53, 99; Theog. 558, 730, 944. Empedoclem autem aëra (τὸν ἀέρα) νεφεληγερέτην vocasse testis est Plutarchus Sympos. V. p. 683. —

4. Ἐνοσίχθων. Apud Homerum et Hesiodum est attributum unius Neptuni terram moventis: Θ, 208; N, 10; Υ, 13, 63; Φ, 445; γ, 6; ε, 375; ι, 525; μ, 107; ν, 146. Hes. Op. 667. Euphorion autem, ut scholiasta Dionysii gramm. exhibet (cf. Meineke fragm. CXL), mirum in modum dixit ἐνοσίχθονι ἀρότρῳ, cui quidem hoc epitheton convenit, sed quantum hic usus ab Homerico distat! Atque Euphorionem quidem secutus esse videtur Nonnus, non solum ἐνοσίχθονι σιδήρῳ (II, 67) de aratro dicens, sed etiam ad alias res translata voce (cf. Lehrs. quaest. ep. p. 301 et Lobeck. Aglaoph. p. 857).

5. Βροτολοιγός. Recte Eustathius ad E, 32 (p. 518, 41): βροτολοιγὸς ὁ ἀνδροφόνος, ὁ βροτοὺς φθείρων; sed per errorem labitur, verbum λέγειν quum inesse arbitretur pergens: ἢ ὁ βροτοὺς λέγων ἤγουν κατακοιμίζων εἰς ὕπνον νήγρετον; vox enim ad analogiam sexcentarum aliarum ex βροτός et λοιγός, quod ad λέγειν revocari nequit, conflata est. Quae Marti, cui soli ab Homero tribuitur, admodum congruit: E, 31, 455, 846; Λ, 295; M, 130; Υ, 46; Φ, 421; ϑ, 115; itidem ab Hesiodo Scut. 333, 425. Nicander autem testudinem (χελωνήν) quandam perniciosam nuncupat βροτολοιγόν Theriac. 703. —

6. Θοῦρος, aliud Martis epitheton fixum, quod dicitur, apud Homerum: θοῦρον Ἄρηα E, 30, 35, 355, 454, 830; O, 127, Φ, 106. Hesiodo, quod sciam, in usu non est. Oppianus et Cynegeticorum scriptor vocem ad bestias transtulerunt: ξιφίης —

θοῦρος Halieut. III. 536, ferox xiphias, et Cyneg. II, 317 πέρδικες θοῦροι, quod F. S. Lehrs perdices pugnaces vertit, nescio an injuria; natura enim pugnaci perdices esse, ignoro et suspicor non tam pugnaci natura eas esse, ut pro insigni poni queat; hoc vero notissimum, eas, si quis appropinquet, magno cum strepitu catervatim sursum volare, quod fortasse poetae animo obversatum est. —

7. **Ἐνύαλιος**. Ab Ἐνυώ, dea bellica, ductum (cf. Lehrs. quaest. ep. p. 181) est bellator atque in Iliade epitheton Martis: B, 651; H, 166; N, 519; P, 211, 259; Σ, 309; Υ, 69; X, 132; pariter apud Hesiodum (Scut. 371). Multo latius patet vocis usus apud posteriores epicos, ex quibus Oppianus vel rei hanc vocem adjungit: ἐνυάλιον πόνον i. q. πόλεμον Halieut. V, 245. Cynegeticorum scriptor de hominibus et bestiis eam frequentat: ἐνυαλίων — Αἰνεαδάων I, 2; ἐνυάλιος Μελέαγρος II, 23; ἐν. λόχος ἀνδρῶν IV, 193; I, 229 Bucephalum illum Alexandri equum ἵππον ἐνυάλιον dicit et I, 88, 205; III, 364 bestias quasdam ἐνυαλίους; postremo de mugitu taurorum in sese irruentium ἐνυαλίῃσιν ἀϋταῖς II, 58. —

8. **Ἑκηβόλος**, sive ab ἑκάς et βάλλειν, sive ex ἑκατηβόλος, syllaba ατ elisa, factum (cf. Lobeck. Pathol. proleg. p. 143.) significat eum, qui jaculis vel sagittis eminus missis, quod petit, attingit, apud Homerum perpetuum Apollinis, subitae pestilentiae et mortis effectoris, epitheton: A, 14, 21, 438; Π, 513, Ψ, 872; quin etiam nominis proprii vicem gerit aliquot Iliadis locis A, 96, 110; X, 302. Ex sequentibus epicis Apollonius Rhodius primus rem, scilicet ἔγχος ἑκηβόλον vocat Argon. I, 769 ad tragicorum consuetudinem, qua Euripides ait ἑκηβόλοι σφενδόναι Phoen. 1142; Aeschylus ἑκηβόλα τόξα Eumen. 598. Consimili modo Tryphiodorus v. 210: ἑκηβόλον ἔτραπεν ἠῶ i. e. lucem solis radios de alto coelo in terras mittentis. Propius ab Homerico usu abest, quod heroes idem Tryphiodorus et Quintus Smyrnaeus hoc epitheto appellant: Philoctetam Quint. IX, 460, Teucrum Tryph. 170.

9. **Βοῶπις**, grandibus oculis praedita, Homerus Junoni potissimum tribuit ad deae majestatem ac severitatem designandam: βοῶπις πότνια Ἥρη A 551, 568; Δ, 50; Θ, 471; Ξ, 159, 263; Π, 439; Σ, 239; Υ, 309; praeterea tribus feminis: Κλυμένη, Γ, 144; Φιλομέδουσα H, 10; Ἁλίη Σ, 40, una ex Nereidibus. Ab Hesiodo Πλουτώ Oceanitis sic nuncupatur Theog. 355. — Oppianus autem vocem ad bestiam transtulit, φώκης βοώπιδος Hal. I, 644. —

10. **Γλαυκῶπις**, sive a γλαῦξ, sive a γλαυκός, quorum stirps γλαύσσειν i. q. λεύσσειν est, repetitur, lucidis oculis praeditum significat, ut Doederlin. docet (glossar. Homer. I, p. 59.), et mirum quam pulchre Minervae, sapienti illi bellicosaeque deae — convenit, cui soli ab Homero attributum est: A, 206; B, 166; Δ, 439; Θ, 357, 373, 420; Ω, 26; Ψ, 769; β, 433; γ, 135; ζ, 112; ν, 389; ω, 518, 540. Iisdem finibus continetur Hesiodus Theog. 13, 573, 888; Scut. 325, 343, 455, 470. At inter posteriores epicos sunt, qui — mirum auditu! — vocem ad res inanimatas transferant. Ut Euphorion, teste scholiasta Dionysii gramm. ap. Bekk. Anecd. II. p. 864 (cf. Meineke fragm. CXL) γλαυκῶπιν ἐλαίαν dixisse perhibetur, et Empedocles lunam sic vocat: γλαυκώπιδος — μήνης v. 196. Utroque loco γλαυκῶπις positum mihi videtur pro γλαυκός, ut splendor designetur et

oleae et lunae. Conferas Sophoclis γλαυκὴ ἐλάα Oedip. Colon. 698; Pindari χρυσέας ἐλαίας Olymp. 10, 13; illud Agesianactis, quod est apud Plutarchum de orb. Lunae p. 920 de luna dictum: γλαυκότερον κυάνοιο φαείνεται ἠύτε | κούρης ὄμμα καὶ ὑγρὰ μέτωπα.

11. Εὐστέφανος. Ac primum quidem de significatione pauca dicamus. Ambigitur, utrum ad capitis ornamentum, an ad zonam referendum sit. Eustathius p. 1249, 39 explicat: εὔκοσμος παρὰ τὸν στέφανον ἢ τὴν στεφάνην, ὅς ἐστι κόσμος γυναικεῖος ἐπομφάλιος; scholiastae Homeri εὐστέφανον pulchre coronatum i. e. diademate ornatum esse statuunt. Quos ego quidem sequor neque scio an haec ratio adjuvetur hisce Homericis: στεφάνην κεφαλῆφιν .... θήκατο χαλκείην i. e. galeam K, 30; ὑπὸ στεφάνης εὐχάλκου H, 12; στεφάνη χαλκοβαρεια Λ, 96. Ab Homero inprimis Venus hoc epitheto exornata est σ, 193; θ, 267, 288; tum semel Diana: εὐστέφανος Κελαδεινή Φ, 511 et Mycene heroina β, 120; ad ultimum Thebae, urbs Boeotiae, hoc adjectivo appellantur T, 99, ubi notabilis est alia vocis potestas; est enim εὐστεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ interpretandum: bene cinctis i. e. bene munitis Thebis. Hesiodus, Homerico usu servato, bis etiam iisdem, quibus Homerus, nominibus vocem junxit: Theog. 978 εὐστ. ἐνὶ Θήβῃ et 1008 εὐστ. Κυθέρεια. At contra Cynegeticorum scriptor semel prata (λειμῶνες) floribus distincta I, 462 et Quintus XIV, 200 ἀρετήν hoc nomine appellavit.

12. Ἀελλόπος, sine dubio metri caussa pro ἀελλόπους, vento celeritate par i. e. vel velocissimus, positum, ab Homero nisi cum Iridis, deorum nuntiae, nomine non conjunctum est atque in hac quidem formula; ὦρτο δ' Ἶρις ἀελλόπος ἀγγελέουσα Θ, 409; Ω, 77, 159. Posterioris autem aetatis epici ab eo differunt, quod de bestiis hac voce utuntur; jam scriptor hymn. Hom. in Ven. de equis v. 218; pariter Apollonius Rhodius I, 1158, Orpheus Arg. 1284, Quintus Smyrn. I, 612; IV, 536; V, 89; de aliis bestiis Orpheus Lith. 122 περδίκεσσιν ἀελλοπόδεσσιν, et Cynegeticorum scriptor, qui bis etiam in ἀελλοπόδης vocem transformavit: I, 413 ἀελλοπόδῃ λαγῷ et III, 184 ἀελλοπόδην ὄναγρον — ἀελλοπόδεσσ' ἐλάφοισι; III, 191 ἀελλοπόδων — ὀνάγρων; Tryphiodorus postremo etiam de nubibus ἀελλοπόδων νεφελάων 189.

13. Εὐπλόκαμοι ab Homero tantummodo mulieres vocantur, inprimis deae: Δημήτηρ ε, 125; Ἠώς ε, 390; ι, 76; κ, 144; Ἀθήνη η, 41; Ἄρτεμις υ, 80; Νύμφαι μ, 132; Καλυψώ η, 246, 255; μ, 449; Κίρκη κ, 136; Ἑκαμήδη Λ, 624; Ξ, 6 etc.; peraeque ab Hesiodo Op. 298. et Quinto Smyrnaeo I, 50; II, 595; IV, 276, 542; VI, 138, 550. Cynegeticorum autem scriptor, mutato intellectu, semel de lacu II, 131 εὐπλοκάμου λίμνης i. e. juncis quasi comatae; postremo semel de polypis εὐπλόκαμοι πλώουσι III, 182, quod iis, quae antecedunt: ἀκρέμονες ὦκα νέοι — ἀλδήσκουσι illustratur; εὐπλόκαμοι ergo h. l. flagellis, pedibus instructi sunt. Orpheus denique semel de viro: αἰζηοῦ — εὐπλοκάμοιο Lith. 433. —

Cap. II. De epithetis, quibus Homerus heroes potissimum exornat.

1. Epitheton δαΐφρων, cujus origo non aliis locis a δαΐς, aliis a δαῆναι ducenda est, ut Buttmano videtur (Lexilog. I p. 200 sqq.), sed, ut Nitzschius ad Homeri Odyss. I, 48 p. 14 sq. exposuit, ab uno δαῆναι, expertum significat atque patet in

bellicis rebus bellicosi, in pacatis prudentis notionem valere. Apud Homerum haud ignoramus hoc vulgatissimum esse epitheton heroum bellicosorum prudentiumque, excepto uno loco Odys. ο, 356, ubi Laertes uxorem luget prudentem: ἐκπάγλως γὰρ παιδὸς ὀδύρεται οἰχομένοιο, κουριδίης τ' ἀλόχοιο δαΐφρονος. Verumtamen jam in hymno Hom. in Cererem v. 360 Proserpina dea hoc epitheto nuncupatur: δαΐφρονι Περσεφονείῃ, et a Quinto, qui plerumque perinde atque Homerus hac voce utitur, Minerva quattuor locis: I, 128; XI, 285; XII 377; XIV, 582. Proprietatis ratione habita, hoc epitheton deae non convenit propterea, quod discendi experiendique notio in eo latet. Quid denique hoc loco faciendum est: ἀλλ' ἄγε θάρσος ἄατον ἐνὶ στέρνοισι λαβόντες ἀλκῆς μνησώμεσθα δαΐφρονος I, 218. Hoc exemplum unicum et singulare apparet, quippe quo δαΐφρων praeter consuetudinem attributionis nomini jungatur, quod genus praeterea unum est apud Aeschylum Sept. c. Theb. 920 γόος — δαΐφρων, οὐ φιλογαθής, quod Buttmannus interpretatur: γόος — φιλῶν vel φρονῶν τὴν δάϊν, ubi a multis nescio an jure scriptura: οὐ φιλόφρων recepta est. Apud Quintum ἀλκὴ δαΐφρων videtur fortitudo bellica esse ac fere idem, quod Homero maxime tritum θοῦρις ἀλκή Il. η, 164; δ, 234, 418; ε. 718; ζ, 112; etc.

2. Ὑπέρθυμος, magnanimus, ab Homero in laude positum est, plerumque de heroibus, nunquam de diis cf. Il. β, 746 υἱὸς ὑπερθύμοιο Κορώνου. — Il. ε, 376 ὑπ. Διομήδης. — δ, 365 et ε, 881 ὑπ. Διομήδεα. Ita porro vocatur in Iliade Δολοπίων ε, 77; Θηβαῖος θ, 120; Πηλείων ν, 88; Νέστωρ ψ, 302; Μελάνιππος ο, 576; in Odyssea Θρασυμήδης γ, 448; κρείων λ, 269; Πολυφείδης ο, 252. Ex posterioribus autem epicis Quintus praeter heroes (IV, 324 et IX, 62) etiam diis hoc epitheton attribuit, Plutoni et Jovi: Ἀϊδονῆος ὑπερθύμοιο VI, 290, XII, 179; Ζηνὸς ὑπερθύμοιο XII, 161.

3. Πολυμήχανος, apud Homerum notissimum Ulixis, qui in rebus dubiis haud sane consilii inops fuit, attributum: B, 175; Δ 358, 362, 363; Θ, 93; I, 308; Ψ, 723; α, 205 etc. Posterioris autem aetatis epici non modo de aliis hominibus, ut Oppianus de medico ingenioso Halieut. II, 597 et Orpheus de Medea κούρη πολυμήχανος Αἰήταο Lith. 311; — verum etiam de rebus posuerunt: Musaeus v. 202 πολυμ. μῦθον i. e. verbum solertissimum et Oppianus Hal. II, 54: βουλὴν πολυμήχανον.

4. Πολύμητις, aliud Ulixis epitheton simili significatu: A, 311; Γ, 200; K, 148; 382; T, 215; Ψ, 709; φ, 274. Non ita longe ab Homero recedit illud dicendi genus, quo Mercurius in hymn. Hom. in Merc. 319 et Orphei Lith. 54, Minerva in hymn. Hom. v. 28, 2, ab Orpheo Lith. 569, a Quinto XII, 154, a Colutho 144 πολύμητις dicitur; longissime autem recedit illud Orphei πολυμήτιδι τέχνῃ Argon. 127.

5. Superiori epitheto subjiciendum videtur πολύτροπος, quod bis tantum ab Homero positum est et de Ulixe quidem vi ac potestate multum versati versutique: Odys. α, 1 ἄνδρα — πολύτροπον et κ, 330 σύ γ' Ὀδυσσεύς ἐσσι πολύτροπος. In hymn. Hom. II, 13, 439. Mercurius πολύτροπος vocatur. A posterioribus autem epicis etiam ad res translatum est hoc epitheton, ut ab Apollonio Rhodio III, 600: ἄτην πολύτροπον, ubi alia significatio, scil. varii, multiplicis — notabilis est, quae fortasse in Quinti Αἴσα πολύτροπος XII, 171 latet. Sed primariam potestatem voci subesse patet his locis: Oppian. Hal. I, 7 πολύτροπα δήνεα et Quint. V, 238: πολύτροπα μήδεα νωμῶν.

6. **Τλήμων**, qui multa audet et subit, quartum Ulixis epitheton apud Homerum. Il. κ, 231 dicitur *ἤθελε δ' ὁ τλήμων Ὀδυσσεὺς καταδῦναι ὅμιλον Τρώων*, ubi addita est explicatio v. 232 *αἰεὶ γάρ οἱ ἐνὶ φρεσὶ θυμὸς ἐτόλμα*; tum ibid. 498 et ε, 670. Quintus nunquam hoc epitheton Ulixi addidit et non plus semel homini I, 174 *τλήμονι κούρῃ* i. e. Penthesileae; bis autem attributionis nominibus: VIII, 399 *τλήμονα Φοῖβος ἦκε βίην* et XIV, 393, ubi de Trojanis ait poeta: *δέρκοντο δὲ τλήμονα πάτρην | αἰθομένην ἔτι πάγχυ*, quo loco notanda est diversa ab Homero vocis significatio; est enim reddendum *τλήμων* m i s e r, ut saepe apud tragoediarum scriptores, cf. Aeschyl. Prometh. 615 *τλῆμον Προμηθεῦ*, Agam. 1261 *ἴσθι τλήμων οὖσ' ἀπ' εὐτόλμου φρενός*. Eur. Hipp. 1177 *τλήμονες φυγαί*. Herc. fur. 921 *τλήμονες παίδων τύχαι*; aliis locis.

7. Δ ο λ ό μ η τ ι ς. Praeter *δολόμητις* etiam vocativi forma *δολομῆτα* apud Homerum legitur. *Δολόμητις* autem inprimis Aegisthus Agamemnoni insidiatus dicitur α, 300; γ, 198, 250; δ, 525; semel Juno Jovem increpat: *δολομῆτα* Α, 540; denique *Κλυταιμνήστρη δολόμητις* λ, 422. Similis usus comparet in hymn. Hom. in Merc. 405, ubi Mercurius, apud Coluthum, a quo Cypris v. 81, apud Tryphiodorum, a quo Helena *δολόμητις* appellatur. Ab Oppiano autem, qui in Halieuticis vel venustissime animalia marina hominum instar sentientia atque agentia facit, quum alia epitheta hominum propria, tum hoc ad aliquot eorum translatum est, velut II, 120 *δολόμητις σηπίη* et ib. 305 *τί πτώσσεις δολομῆτα*; scil. *πολύπου*.

8. Α ἰ χ μ η τ ή ς. De Oppiano quod modo diximus quum verum sit, jam non est, quod miremur, Cynegeticorum scriptorem, imitatorem illum quidem Oppiani, sed ingenio imparem, non dubitasse nomen *αἰχμητής*, quod Homerus nisi fortissimis viris non tribuit, ut Glauco Π, 493; Diomedi Ζ, 97; Menelao Ρ, 588, alibi aliis — de canibus *καταχρηστικῶς*, ut ajunt grammatici, ponere: Cyneg. I, 426 *αἰχμητῶν σκυλάκων*.

Cap. III. De epithetis hominibus ab Homero attributis.

1. Ἀνιηρός ab *ἀνία* profectum significat m o l e s t u m, t a e d i i p l e n u m et apud Homerum attributum est mendicorum Odyss. ρ, 220, 377. Nicandri *ἀνιγρός* idem est, ut apparet ex Alexipharm. 548: *οὐ γὰρ ἀνιγρὸν πῶμα βροτοῖς*, potio nihil taedii afferens. At Theriac. 701 *ὅσα φῶτας ἀνιγροὺς ἑρπετὰ σίνονται* passiva significatio: d o l o r e a f f e c t o s notanda est, ut *φῶτες* per consequens (*τὸ ἑπόμενον*), ut ajunt, sic vocati sint — et Ther. 8. *ἀνιγροὺς ἑρπηστάς* m o l e s t i intellectus non sufficit, immo vero p e r n i c i o s i postulatur cf. Schol. ad h. l. *ἀνιαρούς, λυπηρούς, α ἰ τ ί ο υ ς κ α κ ο ῦ*. Apud Oppianum quidem semel Homericis *λυγρός, στυγερός*, similibus fere respondet: Hal. IV, 209 *ζήλου ἀνιάροιο*, ubi de aemulatione s. zelo feminarum agitur; sed molestum significat, quum muscae *ἀνιηραὶ θέρεος στίχες* dicuntur Hal. II, 448. Apud Quintum denique, qui vocem, persaepe ea usus, rebus inanimatis apposuit, vulgatissima est illa significatio: *αἰχμὴ ἀνιηρή* VIII, 308, X, 150, 219; *ἔγχος ἀν.* VI, 582; *ἀν. βελέεσσι* VII, 145; *ἀνιηρῇσι — περὶ κῆρες* XIV, 626. — *ἕλκος ἀν.* IV, 594; *ἀν. ἐπέεσσιν* III, 97; *κέλευθος ἀν.* XII, 295 etc.

2. Ἀναιδής. Propria vocabuli vis est i m p u d e n s, quae in procos Penelopae, quibus Homerus hoc epitheton tribuit, perquam bene quadrat: *μνηστῆρσιν ἀναιδέσι*

α, 254; ν, 376; υ, 29, 39, 386; ψ, 37, et in mendicum ρ, 449 ἀναιδής ἔσσι προΐκτης. Mirabilis vero est ille usus, quo saxa Homerus, tanquam animata, ἀναιδῆ vocat. Δ, 525 et λ, 598 λᾶας ἀναιδής irreverens explicari potest, quia illo loco lapis jactus aliquem vulnerat, hoc Sisyphi saxum de colle semper devolutum dicitur irreverens illius laborum; non item N, 139 ῥήξας ἀναιδέος ἔχματα πέτρης, quo loco fixum et rigidum saxum dicitur. Fortasse et hoc et superioribus locis ἀναιδής idem, quod σμερδάλεος est et cum latino vocabulo improbus conferri potest, quod pariter atque ἀναιδής ad homines referendum est, sed a poetis, ut Virgilio, variata significatione ad res et bestias translatum est. Apud posteriores epicos consuetudo, qua de rapacibus bestiis positum est, maxime est notanda, ut Κέρβερον ἀναιδέα Hes. Theog. 312; ἀναιδέας — οἰωνούς Apollon. Rhod. II, 383. — ἀν ἀγριόφαγροι Oppian. Hal. I, 140. — ἀν. φῦλα παγούρων ib. 281. — κύνες ἁρπακτῆρες ἀν. ib. 373. — φάλαιναν ἀν. ib. 404. — θῶες — ἀν. II, 625. — ἀναιδέα δείματα πόντου V, 24. — ἀναιδέα φῦλα, — ἅρπυιας Cyn. II, 619. — ὄρνιν ἀναιδῆ i. e. accipitrem ib. III, 126. — θῶας ἀν. ib. IV, 213. — apud Quintum θῶες ἀν. V, 18; XII, 518. — ἀναιδέϊ θηρί V, 37. — ἠὲ λύκοισι — μήλων ληϊστῆρσιν ἀναιδέσιν VII, 505. — ἀν. λέοντος VII, 464. — ἄρκτοι ἀν. X, 181. — Sed ab iisdem etiam de rebus infestis vel truculentis dicitur: ἀναιδέα — ὄσσε Apoll. Rhod. II, 407 de truculentis draconis oculis; similiter ἀναιδέα χανθόν Orph. Arg. 936. — ἀναιδέϊ γαστρὶ Opp. Hal. II, 208; V, 163 de ventre bestiarum. — στομάτεσσιν ἀν. ib. II, 442. — χαυλιόδοντας ἀν. ib. V, 326; II, 492. — λύσσης ἀν. ib. IV, 213. — θυμὸς ἀν. Hes. Theog. 833; Cyn. I, 424; Quint. VIII, 391; XI, 11. — οἶστρος ἀν. Cyn. III, 198. — Impudentis notio voci non plus semel apud Callimachum subest, hymn. in Cerer. 46 ἀναιδέα φῶτα et Cyneg. III, 523, ubi lepus θῆλυς ἀναιδής vocatur propter libidinem.

3. Οὐτιδανός ex οὔτις adjuncta paragoge — δανος, quae in πευκεδανός, ῥιγεδανός, aliis comparet, ortum, est nequam. Quo epitheto Homerus hominum tantum imbecillitatem ignaviamque significat: Α, 390: ἀνδρὸς ἀνάλκιδος οὐτιδανοῖο. — ι, 460 οὐτιδανὸς πόρεν Οὖτις, quibus locis adjungo Α, 231, 293; θ, 209; ι, 515. Hesiodus semel hac voce usus est et de Satyris quidem fragm. 91. Verum posteriores, inprimis Nicander et Oppianus, apud quos exigui significationem vocabulum οὐτιδανός induit, ad bestias, quin etiam ad res inanimatas transtulerunt: Nicand. Ther. 385: οὐτιδανὴν ἐπὶ σειρήν, caudam exilem scil. scytales, anguis; — ibid. 483. οὐτιδανοῦ ἀσκαλάβου, parvi stellionis. Oppianus semel de mintha ποίη δ'οὐτιδανή Hal. III, 497; cetera de piscibus; ἰχθύος οὐτιδανοῖο Hal. I, 234 de echineide; — οὐτιδανοῖσιν — μελανούροις ib. 480. Cynegeticorum scriptor tantum de bestiis: οὐτιδανοῖσι — λίχνοις, exiguis liguritoribus I, 472. — οὐτιδανοὶ μελάνουροι II, 391. — οὐτιδανοὺς θῆρας II, 571. — οὐτιδανοῖο σκιούρου ib. 586. — Pariter Quintus bis tantum de bestiis: III, 264 μυίῃς οὐτιδανῇσιν et ib. 353. οὐτιδανοῖς γύπεσσιν; praeterea plerumque de hominibus ad exemplum Homeri: I, 747, 823; II, 276; V, 240; VI, 415; XII, 61, 69.

4. Ἄσχετος, ab Homero cum nomine μένος plerumque conjunctum et de hominibus positum, eum significat, qui robore coerceri nequit, saepenumero admixta vituperii notione, ut β, 85, 303; ρ, 406, ubi Telemachus μένος ἄσχετε ab Antinoo proco increpatur, et ν, 19 μένος ἄσχετος Κύκλωψ. Quam notionem in verbis, quibus Nestorem

Homerus usum facit γ, 104,: ἀνέτλημεν μένος ἄσχετοι υἷες Ἀχαιῶν non inesse patet. Postremo πένθος ἄσχετον i. e. intolerabilis luctus Π, 549 memorandum est. Apud insequentis aetatis epicos μένος ἄσχετος non plus semel inveni, apud Hesiodum, et de tauro quidem dictum Theog. 832. Saepenumero autem ἄσχετος solum, non adjuncto vocabulo μένος, in rebus positum est, et notabilis est illa consuetudo, qua rerum, quae sub sensus cadunt, nominibus ingentis significatione jungitur, inprimis ab Apollonio Rhodio, velut III, 1322 δόρυ ἄσχετον immensa hasta; itidem ab Oppiano Hal. I, 770 ἄσχετον ὄμβρον, et semel a Quinto IX, 252 ἀσχέτου αἰχμῆς, ab eodem autem multo saepius attributionis nominibus apponitur: πῆμα ἄσχ. I, 370, V, 141; δῆριν ἀάσχετον V, 144; ἄσχ. λύσσαν ib. 360; ἄσχ. αἰών ib. 478; μῶλος ἀάσχετος VII, 151; ἄσχ. ὄλεθρον XIV, 298; βίη ἄσχ. ib. 495. —

5. Αἰδοῖος in Homeri carminibus nisi de hominibus propter ordinem vel aetatem honorandis non positum est, ut de rege Δ, 202; de supplicibus Φ, 75; η, 165, 181; maximeque de hospitibus (ξένοις), quorum magna erat reverentia, Jove hospitali tutore, heroum temporibus (θ, 22, 544; ι, 271; τ, 191, 254); deinde de feminis, praesertim de matronis γ, 381, 451; κ, 11; ρ, 152; τ, 165 etc.; de proma αἰδοίη ταμίη α, 139; δ, 55; η, 175. Hesiodus quidem in usu hujus vocis plerumque Homerum sequitur, differt autem ab eo, quum ad deos transferat: Theog. 16 Θέμιν αἰδοίην; ib. 44 θεῶν γένος αἰδοίων; ib. 194 αἰδοίη καλὴ θεός i. e. Venus. Op. 299 αἰδοίη Δημήτηρ. — Empedocles v. 391 mirabiliter ait: ξείνων αἰδοῖοι λιμένες, ubi αἰδοῖοι πρὸς τὸ σημαινόμενον, ut ajunt, interpretandum est; spectat enim ad Agrigentinos, nisi forte ξείνων αἰδοίων, quod simplicius atque ex Homeri consuetudine est, ut Bergkius vult, praeferendum censemus. Oppianus denique justitiam αἰδοίαν vocat Hal. 655: αἰδοίης δίκης. —

6. Βαθύκολποι, vestibus sinuosis indutae, ab Homero non dicuntur nisi Troades alte cinctae Σ, 122, 339; Ω, 215. (v. Lehrs. Aristarch. p. 119). Unus Zenodotus legit Β, 484: Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες βαθύκολποι, quo loco nunc legitur: Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες. (cf. Pindar. Pyth. I, 12 ed. Dissen: σοφίᾳ βαθυκόλπων Μοισᾶν). In hymn. Hom. in Ven. 288 memorantur νύμφαι ὀρεσκῷοι βαθύκολποι. Ab his quantum distat ille usus, quo vestem profundos sinus efficientem Coluthus v. 153, Nonnus et terrae et aquae profunda XXXII, 298 βαθύκολπος πηγή et XXXIII, 397 ῥωγμὸς βαθύκολπος hoc epitheto appellat. Quo usu vocis potestatem mutatam esse luce clarius est.

7. Ἐνηής, benevolus vel comis, ab Homero uni nomini ἑταῖρος subjunctum est θ, 200; Ρ, 204; Φ, 96; Ψ, 252. Ab Hesiodo autem ad rem translatum est: Theog. 651 φιλότητος ἐνηέος; similiter in hym. Hom. 23, 4 ἐνηέα θυμόν; — ab Oppiano denique etiam bestiae ἐνηεῖς appellatae sunt: mugiles Hal. II, 644 et delphines V, 425, non neglecto tamen Homerico usu I, 392, V, 533: ἐνηέας θεράποντας.

8. Εὔκομος. Per διάλυσιν et ἐπίτασιν natum est Ionicum ἠΰκομος, quod in Homeri carminibus nisi pulchris crinibus praeditum non designat et tantum mulierum epitheton est. Sic vocantur Latona Α, 36; Τ, 413; Briseis Β, 689; Helena Γ, 329; Θ, 82; Ι, 339; Niobe Ω, 602; ex dearum choro Minerva Ζ, 92, 303; Juno κ, 5; Thetis Δ, 512, Ω, 466. Idem usus apud Hesiodum. Quemadmodum autem κόμην poetae, jam Homerus (Odys. XXIII, 195), nonnunquam frondem arborum venustissime

dicunt, ita in posterioribus epicis sunt qui arbores pulchra fronde vestitas ἠϋκόμους dicant, ut Empedocles 383: ἐνὶ δένδρεσιν ἠϋκόμοισι et perinde semel Cynegeticorum scriptor: ἠϋκόμων ἄπο δένδρων IV, 336, sed idem etiam jubam leonis ἠΰκομος λῖς IV, 80, 133. —

9. Θηλύτερος. Errant, qui hoc adjectivum pro comparativo habeant propter terminationem, ut Passovius et Pappius; omnibus enim locis, quibus legitur, non distinguuntur inter se neque homines, neque res; verum ne forma quidem comparativus est, immo positivus et forma et significatione, pariter atque ἀγρότερος, ὀρέστερος etc. Apud Homerum accuratius notando sexui inservit et quum voci γυναῖκες tantum et semel θεαί (Θ, 520; λ, 386, 434; ο, 422; ψ, 166) junctum sit, salvo intellectu, omitti potuit. Mulierum nominibus solis etiam in hymnis Hom. in Cer. 119, 167, 222 et ab Hesiodo Scut. 4, 10; Theog. 590 appositum est. Recedunt ab hoc angusto et circumscripto usu ex posterioribus epicis Oppianus, qui rebus ad bestias feminini sexus pertinentibus θηλύτερος tribuit, ita igitur, ut genitivi γυναικός vel γυναικῶν locum tueatur: Hal. I, 491 θηλυτέραις ἀγέλῃσιν i. e. piscium et IV, 125 θηλυτέρης ἰωῆς i. e. avis; consimiliter Callimachus et Musaeus, qui mulierum res quasdam hoc epitheto appellant, hymn. in Del. 221: θηλυτέρην — χέρα, et Mus. Hero et Leand. 122 θηλυτέροις ἐπέεσσιν. — Ad ultimum etiam ellipsis vocabuli γυνή, quae ab Homero prorsus aliena est, apud posteriores memoratu digna, non impedito intellectu, perquam bene fieri potuit. Primus ea usus est Apollonius Rhodius (IV, 368, 1345), quem insequentes epici in hoc genere saepenumero imitati sunt, ut Nicand. Alex. 596; Ther. 514, 859; Oppian. Hal. 400; Cyneg. I, 160, 319, 333; II, 47, 207; III, 56, 199, 373, 367; Orph. Argon. 475; Lith. 361; Quint. I, 117, 462, 474, 730; XIV, 54. Mus. 36.

10. Νηπίαχος. Rejicienda est Eustathii ejusque quasi pedisequorum ratio, qui vocem ex νήπια et ἰάχειν conflatam esse dicunt; immo νηπίαχος per paragogen, quae est in adjectivo μοναχός, in adverbiis πολλαχοῦ, πανταχοῦ, in verbo στενάχω (a στένω) aliisque, productum est νήπιος et latino infans respondet. Quod memoratu dignum est, apud Homerum in una Iliade et nomini παῖδες quidem junctum legitur: B, 338; Z, 408; Π, 262. Oppianus autem semel ad bestias transtulit hirundines sic vocans Hal. V, 579: ὀρταλίχοισι χελιδόσι νηπιάχοισιν.

11. Νόθος. Ab Homero prorsus alienus est usus vocis ad res pertinens, qui apud scriptores inferioris aetatis invaluit. Ille pellice natum solum νόθον dicit: B, 727; Δ, 499; Θ, 284; Λ, 102, 103; N, 694 etc. Oppianus autem testam, quam carcinades nullo tegumento natae neritis aut strombis sui tegendi causa rapiunt νόθον σκέπας vocat Hal. I, 323.

12. Ὀτρηρός, alacer, sedulus, apud Homerum solenne est epitheton ministrorum et potissimum nomini θεράποντες adhaeret: A, 321; α, 109; δ, 23, 38, 217; semel ὀτρηρή ταμίη Z, 381. Hesiodo non est in usu. Ab Oppiano autem tantummodo nominibus absolutis junctum est: Hal. V, 111 ὀτρηροῖσι νοήμασιν, velocibus cogitationibus, simili ergo intellectu atque apud Homerum, at prorsus dispari Hal. II, 529 ὀτρηρῇσιν — ὀδύνῃσι, ubi de dolore bovis ab asilo puncti et ad furorem impulsi agitur, et vocem ὀτρηρῇσιν ego quidem etymon respiciens factitivo sensu explicuerim: bovem adigentibus

(scil. ad rabiem), stimulantibus ideoque acribus doloribus. Quintus Smyrn. postremo in canibus semel istud epitheton posuit VIII, 364.

13. Ὑπερφίαλος. In voce interpretanda jam veteres grammatici dissenserunt (v. Buttmann. lexilog. II, p. 212). Inter recentiores Passovius ὑπερφίαλος transformatum esse judicat ex ὑπέρβιος (tanquam ὑπερβίαλος). Buttmannus l. c. vocem ad φυή revocans primigeniam significationem esse statuit: naturae modum excedens, „übernatürlich"; deinde alios homines aliasve res despiciens, „der sich über vieles oder über alles hinwegsetzen zu können glaubt". Quam etymologiam Nitzschius ad Odyss. δ, 663 comprobat, sed monet idem, adjectivorum ὑπερφυής et ὑπερφίαλος proprietatem esse: in nimium excrescens i. e. qui sese effert vel super alios vel super se ipsum, „überwüchsig, der sich über andere oder über sich selbst erhebt." Apud Homerum plerumque in pejorem partem hoc epitheton accipiendum est. Maxime autem Penelopae proci ὑπερφίαλοι i. e. insolentes vocantur α, 134; β, 310; γ, 315; λ, 116; ν, 373; ξ, 27; ο, 12, 315, 376; π, 271; υ, 12; hinc in Iliade Trojani N, 621; Φ, 224, 414, 459; etiam vasti Cyclopes ι, 106; tum res: θυμὸς ὑπερφίαλος, animus superbus, O, 94 (coll. 97), Ψ, 611; ὑπερφίαλον ἔπος δ, 503, et μύθους μὲν ὑπερφιάλους ἀλέασθε πάντας, sermones omnes superbos et praefidentes. Apud plerosque posteriorum epicornm hac voce insolens, ut apud Homerum, designatur cf. hym. Hom. in Cer. 131; Apoll. Rhod. I, 1334; II, 54, 129, 758, 1243; IV, 1083; Orph. Argon. 662; Quint. II, 411; III, 47, 392; V, 455; VIII, 461; X, 302; at contra apud Nicandrum semel de hedera luxuriante positum est fragm. II, 23 κόρυμβοι | μέσσα συνωρίζωσιν ὑπερφιάλοιο μετώπου. Ab Oppiano bis bestiis tributum est eadem fere significatione, qua ἀναιδής: Hal. II, 590 ὑπερφιάλων νεπόδων i. e. amiarum, et ib. 614 θῶας ὑπερφιάλους; praeterea duobus locis rebus inanimatis intellectu ingentis, certe Hal. V, 252, ubi labor piscatorum ὑπερφίαλος dicitur, et ibid. 261 ἠνορέης — ὑπερφιάλοιο.

Cap. IV. De epithetis, quae Homerus bestiarum nominibus apposuit.

1. Ἀμαιμάκετος. Priusquam ad comparandum Homeri et posteriorum epicorum usum hujus adjectivi aggredior, originationem significationemque paucis exponere liceat. Veteres quidem grammatici, ut Papius monet (lexic. graec. I. p. 108, sq.), pro varietate substantivorum, quibus adjectivum junctum erat, varias statuerunt derivationes (a μῆκος, quum voci ἱστός, ab αἷμα, quum voci Χίμαιρα, a μαιμάω, quum nomini πῦρ adhaerebat). Quae ratio explodenda est. Recentiores autem interpretes aut unam ex illis derivationibus adsciverunt aut novas quaesiverunt, ut Papius et Passovius, qui a verbo μάχεσθαι istam vocem ducunt. Mihi quidem et proxima et optima derivatio a verbo μαιμάσσειν videtur esse. Nunc ἀμαιμάκετος, adjectivum verbale, praeposito α intentivo, quod dicitur, et inserta vocali ε, eum significat, qui vehementissime in aliquam rem movetur vel irrumpit, quae significatio et Homericis locis et iis, quos statim proferam, maxime quadrat. Ἱστὸς ἀμαιμάκετος dicitur ξ, 312, ubi maxima tempestas et naufragium depinguntur, et nunc quidem interpretandum est: malus Ulixi imminens, quem in altis undis suspensum et in illum incasurum cogites, quod, ut ita dicam, multo significantius est, quam ingens malus. Praeterea ἀμαιμάκετος unius

Chimaerae, portenti illius fabulosi, epitheton est apud Homerum Z, 179; Π, 329: Χίμαιραν ἀμαιμακέτην i. e. impetuosam. Ab Hesiodo nisi de naturae elementis tanquam vividis non positum est: Theog. 319 Χίμαιραν πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ, ferocem quasi ignem, et Scut. 207 λιμὴν εὐόρμος ἀμαιμακέτοιο θαλάσσης; peraeque a Musaeo semel v. 328: ἀμαιμακέτου ἅλμης. Ab Apollonio Rhodio ἔγχος ἀμαιμάκετον III, 1232 vocatur, cui conferenda sunt Quinti Sm. ἀμαιμακέτῳ ὑπὸ δουρὶ XIII, 213 et ἐγχείῃσιν ἀμαιμακέτῃσι I, 523; et Orphei: ἀμαιμ. ὀϊστοῖς Argon. 178. Oppiani ἀλκῇ ἀμαιμακέτῳ Hal. I, 361 plane convenit Homerico: θούριδος ἀλκῆς. — Hactenus rerum nominibus epitheton ἀμαιμάκετος junctum videmus, verum idem etiam animantibus tribuitur, ut diis: Orph. Arg. 23 ἀμαιμ. Κρονίωνος; Quint. VIII, 63 ἀμαιμ. περιστένει Ἀμφιτρίτη et I, 641 Ἄρηος ἀμαιμακέτοιο, quod proxime accedit ad Homericum θοῦρον Ἄρηα; Coluth. 53 Ἔρις ἀμαιμακέτη; hominibus: Orph. Arg. ἀμαιμ. βασιλῆες i. e. Argonautae; ib. 860 ἔθνος ἀμαιμ. Κόλχων; bestiis, ut tauris Cyneg. II, 159 et Quint. VI, 237; leoni Orph. Lith. 612.

2. Δαφοινός apud Homerum tantummodo colorem et fulvum quidem designat propterea, quod θῶες Λ, 474 sic vocantur et δράκων Β, 308 et, quo discrimen fit, δέρμα λέοντος Κ, 23. Apud posteriores poetas vocis significatio latius patet, quum ad notionem stirpis (φόνος) accedat. Hesiodum quidem: Κῆρες — δαφοινοί Scut. 250 interpretandum est: cruore adspersae. In hymn. autem Hom. in Apoll. et apud Oppianum δαφοινός cruenti s. crudelis notionem induit: in illo v. 304 πῆμα δαφοινόν; apud hunc bestiae, ut pistrix Hal. I, 369 et piscis ἡγητήρ cognominatus V, 20, tum res inanimatae δαφοινοί dicantur, ut γένυν δαφοινήν II, 266, 578; βελέεσσι δαφ. II, 473; χερσὶ δαφοιναῖς II, 414; ὑπ' ἀγκίστροιο δαφ. IV, 43. In Cynegeticis hanc vocem utraque significatione praeditam invenimus. Etenim de colore est accipiendum, poeta quum dicit ἵππους δαφοινούς I, 308. Quid enim sibi volunt equi cruenti? Accedit, quod et antea et postea equi alio colore memorantur: κυανώπεες, γλαυκοί, αἴθωνες. Huc fortasse referenda sunt III, 46 θῆρα δαφοινόν de leone; 393 λύκοισι δαφ.; 440 θῆρα δαφοινήν i. e. aspidem, quam Nicander Ther. 158 φοινήεσσαν i. e. rufam dicit, licet his locis etiam altera interpretatio bene quadret. Quae prorsus requiritur I, 57 ἀγκίστροισι δαφοινοῖς i. e. cruentis; ib. 183. ὄμμα ἐπισκυνίοισι δαφοινόν II, 439; στομάτεσσι δαφ. III, 235; θηρσὶ δαφοινοῖς simul una de lupo et hyaena III, 270; de omni ferarum genere IV, 131; — πορδαλίεσσι δαφ. III 336; ἐπακτήρεσσι δαφ. IV 39; πολέμοιο δαφ. ib. 128; γενύων δαφ. 153.

3. Εὐτρεφής, bene nutritus, pinguis, ab Homero nisi de bestiis non positum est: ἄρσενες οἴιες εὐτρεφέες ι, 425 et αἰγὸς εὐτρεφέος μεγάλοιο ξ, 530. Ex posterioribus, quos legi, epicis unus Nicander hoc adjectivo usus est, sed aliter atque Homerus; uno loco bene nutrientis sensu: Alexiph. 268 εὐτρεφέος . . . καστανοῦ καρύοιο vel potius καστανεοῦ καρ. (v. Lobeck. pathol. p. 243.), ubi scholia εὐτρεφέος interpretantur: τοῦ εὖ τρέφειν δυναμένου; altero passivo quidem sensu, sed de re: Alex. 388 σάρξ θωρήκων εὐτρεφέων i. e. pinguis galinae pectoris.

4. Καρχαρόδους. Sic in Iliade bis canes acutis dentibus vocantur: Κ, 360; Ν, 198. Quem usum Hesiodus plerumque retinet Op. 604, 796; Scut. 303; sed duobus locis etiam harpen, cui dentes non erant, hoc epitheto appellat. Theog. 175, 180.

5. Ταλαέργός, operum patiens, Homero usitatissimum mulorum epitheton, itidem hymn. Hom. in Mercur. 568, Hesiod. Op. 46, 791. In Halieuticis V, 20 πόνος ταλαεργός dicitur, sed antecedente οὐρήων, ut hypallagen cognoscamus. Nonnum denique ταλαεργὸς ἀροτρεύς II, 64 et ταλ. γυνή III, 86 dixisse, non est, quod miremur.

6. Χρυσάμπυξ eum significat, qui crines aurato redimiculo succinctos habet et in Iliade nisi de equis circa caput eleganter ornatis non positum est: χρυσάμπυκας ἵππους E, 358, 720; Θ, 382. In hymno Homerico V, 5 et 12 Horae, ab Hesiodo Theog. 916 Musae sic exornatae finguntur.

7. Ὠκυπέτης, celeriter volans s. advolans. In Iliade sic vocantur equi deorum volucres: ἵππω ὠκυπέτα N, 24 i. e. Neptuni equi, qui volant ῥίμφα μάλ', οὐδ' ὑπένερθε διαίνετο χάλκεος ἄξων ib. 30, et Jovis equi Θ, 42, qui volant μεσσηγὺς γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος ib. 46. Maxime autem mirabile est illud a Cynegeticorum scriptore audacter dictum: νώτοισιν ὠκυπέτῃσιν III, 399 de dorso hystricis, quod ita dictum judico ab aculeis dorso affixis, quos in feras sibi instantes ejaculatur, quippe ἰθὺς ἀκοντίζει μαλερὸν βέλος v. 400. Hesiodus et Apollonius accipitrem (Op. 212; Argon. I, 1050), Orpheus Lith. 535 Perseum, Jovis filium, hoc epitheto appellant.

Altera pars.

De rerum epithetis.

Cap. I. De epithetis, quae Homerus praecipue partibus humani corporis apposuit.

1. Ἁπαλός, recens, vegetus, tener, („voll Saft und Kraft“ v. Doederlin. glossar. Hom. p. 224.), ab Homero nisi corporis humani membris non attributum est: cervicibus Γ, 37; N, 202; Σ, 177, quibus locis δειρή legitur; P, 49; Φ, 327; χ, 16, ubi nomen αὐχήν legentibus occurrit; pectori Λ, 115; feminarum genis Σ, 123; pedibus T, 92; manibus φ, 151. Haud sane dispar usus in hymn. Hom. 5, 10; apud Hesiod. Theog. 3; Scut. 279; Apoll. Rhod. III, 297; Quint. XIII, 320, 324. X, 78. Orpheus et Quintus semel ad homines epitheton referunt: Argon. 798 ἁπαλὴν Μήδειαν; Quint. XIII, 323 ἁπαλὸς παῖς; Oppianus Hal. II, 662 et Tryphiod. 131 ἁπαλῶν νεοσσῶν ad bestias. Nicander autem ovum vocat ὀρταλίχων ὠδῖνα ἁπαλήν i. e. fragilem. Alex. 165.

2. Ἄαπτος. De falsa veterum explicatione disputat Lehrs. Aristarch. p. 143. Est autem ἄαπτος id, quod ἀμάχανος, intactilis, et in Homeri carminibus manuum fortissimarum epitheton: χεῖρες ἄαπτοι Jovis A, 567; Θ, 450; Ajacis H, 309; N, 77; Agamemnonis Λ, 169; Achillis T, 503; Patrocli Π, 244; Hectoris P, 638; Ulixis χ, 70, 248 etc. Iisdem finibus continetur Hesiodus Theog. 649; Scut. 446. Oppianus autem vocem ad bestias transfert: κῆτος ἄαπτον Hal. V, 97, 629; ἄαπτοι λάμναι ib. 35, et semel maxillam ἄαπτον vocat ib. 52.

3. Βλοσυρός ab Homero nisi de vultu non dicitur: H, 212 μειδιόων βλοσυροῖσι προσώπασι scil. Ajax, et O, 608 ὄσσε λαμπέσθην βλοσυρῇσιν ὑπ' ὀφρύσιν scil. Hectoris, unde colligo βλοσυρὸν non verecundum, quod vult Theod. Fischer in dissertat. de

differ. orat. Homer. et post. epic. p. 6, sed severum, vel potius torvum denotare. Ad hanc consuetudinem accedunt loci, quibus de oculis et vultu deorum bellatorum, heroum, bestiarum, positum est, ut Martis Quint. VII, 361; Minervae XIII, 426; Achillis ib. 539; Herculis Apoll. Rh. II, 1437; draconis Hes. Scut. 147; leaenae Callimach. in Cer. 53. De aliis rebus a posterioribus dictum est, a Quinto quidem saepissime de ferarum maxillis: I, 479; II, 576; III, 146; V, 20; VI, 200, 210; VII, 471; XII, 462; item semel ab Orpheo Arg. 997; — de promontorio Acherusio Apoll. Rh. II, 740; de corpore chersydri Nicand. Ther. 370; de sanguine testudinis marinae ib. 706. Verum multo saepius de animantibus, potissimum de bestiis a posterioribus horridi significatu positum est; βλοσ. δάκος Nic. Ther. 336; Hal. V, 333; θῆρες βλοσ. Cyneg. 234; de leonibus Hes. Scut. 175; Cyn. II, 165; Quint. 1, 5; de ursis Oppian. Hal. II, 247; Quint. X, 181; de zygaena Oppian. Hal. I, 367; de phoca Hal. V, 38; de dracone XI, 74; XII, 492. — tum Κῆρες βλοσ. Hes. Scut. 250; Ἄρεος βλοσ. ibid. 191; Μανίην βλοσ. Quint. V, 452; Μέδουσαν βλοσ. ib. X, 195.

4. Λάσιος. Ineptum, quod Eustathius vocem dicit ex λα — et σείω ortam esse; immo nata esse videtur ex δασύς, mutato δ in λ, quae commutatio cognoscitur in lacrima — δάκρυ (dacrimas pro lacrimas Livius saepe posuit etc. Paul. Diac. p. 68, 10.); meditari — μελετᾶν. Apud Homerum significat densis crinibus vel lana obsitum, illud in hoc verborum complexu: ἐν στήθεσσιν λασίοισιν A, 189 et λάσιον κῆρ B, 851; Π, 554 cor villosumque, quia crinium copia robur indicat. Alteram significationem bis obtinet: Ω, 125 ὄϊς λάσιος; ι. 433 λασίην ὑπὸ γαστέρα scil. ἀρνειοῦ. Apud posteriores autem, quum ad arbores transfertur, densa fronde vestitum significat, ut apud Nicand. Ther. 439 λασίῃ φηγῷ; Callim. in Dian. 192 λασίῃσιν ὑπὸ δρυσί; Apoll. Rhod. II, 1270 λασίοισιν ἀκρεμόνεσσιν; tum arboribus vestitum, inprimis quum montibus attribuitur, ut λασίης κολώνης Apoll. Rhod. III, 581; λασίοισιν οὔρεσιν Orph. Lith. 436 et Quint. VIII, 131; λασ. ὀρέων ib. X, 452; ὄρεος λασ. ib. XII, 132. — λασ. Ἴδης ib. X, 332, quo referendum est Empedoclis αἴης λάσιον δέμας v. 73 i. e. terra arboribus, fruticibus etc. obsita; herbosum autem significat Apoll. Rhod. I, 747 βοῶν — λάσιος νόμος. Postremo est, ubi simpliciter densi notio voci subjecta sit, primum apud poetas Alexandrinos, ut Callim. in Dian. 76 et Apoll. Rhod. IV, 1605 λασίης χαίτης. — Nicand. Ther. 69 λασ. φύλλοισι; — θάμνοισι λασ. Oppian. Hal. IV, 121; Cyn. II, 214; Quint. V, 436; — λασ. οἶχους Cyn. III, 196; λασ. λάχνην Orph. Lith. 249; λασ. ὕλης ib. 236; λασίῃσιν ὕλῃς Quint. XIII, 488. Hucusque significationis ab Homero diversitas apud posteriores epicos notanda est; neque tamen hirsuti potestas plane obscurata est; cf. Nicand. Ther. 323; Cyn. I, 390; II, 327, 586; III, 272, 395; Orph. Arg, 76, 202; Lith. 214; Quint. XI, 471; XII, 143, 402; XIV, 579.

Cap. II. De rerum artificiose fabricatarum epithetis.

1. Ἀργύρεος ab Homero non positum est nisi in rebus ex argento factis; sed jam Hesiodus clarum, albentem splendorem hoc vocabulo denotavit, quum diceret: δίνῃς ἀργυρέῃς, vorticibus argenteis (silberglänzend), Theog. 791. Quam secuti esse

videntur Panyasis fragm. 17 *Σίβρῳ ἐπ' ἀργυρέῳ* i. e. Lyciae fluvio; Oppianus I, 23 et Orpheus Argon. 490 *ἀργυρέαις Αἰσηπὸς — προχοῇσιν*.

2. *Δαιδάλεος*. Hoc nomine ab Homero nisi res artificio factae non appellantur: *ἔντεα* Z, 418; *θώρηξ* Θ, 195; *σάκος* T, 380; X, 314; *ζωστήρ* Δ, 135; *φόρμιγξ* I, 187; *ἅρματα* P, 448; *θρόνος* Σ, 390; κ, 315, 367 etc. Pariter ab Hesiodo *σάκος* Scut. 334, 460; *κυνέη* ib. 137; *καλύπτρη* Theog. 575; ab Asio fragm. XI, 6 *χλιδῶνες*; Apoll. Rhod. *αἴθουσα* III, 237; *ἱμάσθλη* ib. 1154; a Quinto *ζωστήρ* VI, 243, *τεύχεα* χ, 180; Musaeo *χιτών* 338; Tryphiodoro *ἀνάθημα* 303. At contra apud Cynegeticorum scriptorem vox varii, maculati notionem induit: III, 74 *ῥινὸς δαιδάλεος* scil. pardalis. Idemque *δαίδαλος* pari intellectu usurpavit: I, 355 *δαίδαλα εἵματα*. Quod memorabile est propterea, quod apud Homerum et Hesiodum tantummodo neutrum legitur, nullo apposito substantivo, ut substantivi vicem gerere videatur v. E, 60; Ξ, 179; Σ, 400, 482; T, 13, 19; inprimis τ, 227 *πάροιθε δὲ δαίδαλον ἦεν* Hes. Theog. 581.

3. *Ποικίλος*. Homerus res varia arte factas, vel figuris et coloribus varias *ποικίλας* dicere solet: *τεύχεα* Γ, 327; Δ, 432; Z, 504; M, 396; Ξ, 420; *ἔντεα* K, 75; *σάκος* K, 149; *θώρηκα* Π, 134; *ἅρματα* Δ, 226; E, 239; K, 322; N, 537; Ξ, 431; γ, 492; ο, 145, 190; *θρόνα* X, 441; *κλισμόν* α, 132; *πέπλον* E, 735; Θ, 386; σ 293; *ἱμάντα* Ξ, 215, 220; *δεσμόν* θ, 448; praeterea bestias, quarum pellis variis maculis conspersa est, ut *παρδαλέη* K, 30 et *ἐλλόν* hinnulum τ, 228. Callimachus in Apoll. 82. et Apoll. Rhod. IV, 1144 varios flores *ποικίλα ἄνθεα* nuncupant. At ille usus, quo apud insequentes epicos *ποικίλος* idem est, quod *ποικιλόμητις*, ab Homero sejunctus est; Hesiodus enim: *ποικίλον Προμηθέα* i. e. versutum Theog. 511, et Oppianus: *ποικίλον νόημα* Hal. III, 173.

4. *Μορόεις*. Incerta est vocis derivatio ac significatio, de quibus jam veteribus nihil constabat. Eustathius Homeri *μορόεντα ἕρματα* explicat: *τὰ ἐκπεπονημένα καὶ μεμεριμνημένα τῇ κατασκευῇ καὶ τέχνῃ*. Cui concinit Hesychius: *μετὰ πολλοῦ καμάτου πεποιημένα*. At dissentit Apollonius in lex. Homer., quum interpretetur: *ἀθάνατα, μόρου μὴ μετέχοντα*. Recentiorum quidam a *μόρον*, morum, ducunt, ut notet: mori colorem referens (maulbeerfarbig); alii vertunt: albenti splendore. Ex duobus Homericis locis Ξ, 183 et σ, 298, ubi inaures (*ἕρματα*) *μορόεντα* vocantur, nihil certi elici potest. Etiam posteriores poetae raro videntur hoc epitheto usi esse. Nicander dicit *μορόεν ποτόν* Alex. 130, 137, quod scholia varie interpretantur: *ἢ πολυέψητον, ἢ μορίδιον, τὸ ἁρμόζον τῷ πάθει*, — tum *μορόεντος ἐλαίης* Alex. 455; denique *μορόεις φρῦνος* ib. 582, quod sunt qui transferant: fatalis rubeta. Quibus locis vocabulo ad interpretandum difficillimo nescio an certus color vel splendor designetur. Apud Quintum autem epitheton *μορόεις*, quum letalis notionem habeat, ad *μόρος*, mors, revocatum esse arguunt: *μορόεντος ὑπὲκ κακοῦ ἰαίνονται* i. e. letali ex morbo IV, 102, et *μορόεντα τεύχη*, letalia arma I, 152.

Cap. III. De armorum epithetis.

1. *Ἀμφίβροτος*, virum protegens. Hoc epitheto ab Homero unus clipeus insignitus est: B, 389; Λ, 32; M, 402; Y, 281. Empedoclem autem *τὸ τὴν ψυχὴν περικείμενον σῶμα ἀμφιβρότην χθόνα* dixisse testis est Plutarchus Symp. V, p. 300. Nec

minus mirum est Nicandri ἀμφιβρότην κώδειαν Alex. 216, quod a scholiasta illustratum est his verbis: τὴν ὅλον τὸν ἄνδρα συνέχουσαν κεφαλήν.

2. Βριαρός, fixum et perpetuum galeae epitheton in Iliade, ponderosum significat. De galea etiam ab Apollonio Arg. III, 1322 et a Quinto Smyrn. IV, 587 positum est, sed ab iisdem eodem significatu etiam de aliis armis: δόρυ βρ. Apoll. III, 1248; Quint. VIII, 248; XI, 468; αἰγίδα βρ. ib. XIV, 453; σόλον βρ. IV, 436. Quum autem, quod per se grave est, id compactum sit et robustum, nata est altera firmi vel validi potestas, qua non animantibus solum, verum etiam inanimatis, maximeque ad corporis robur significandum, attribuitur: βρ. δέμας Opp. Hal. II, 328; Tryph. 19; βρ. γένυς Hal. V, 259; Τιτῆσι βρ. Orph. Arg. 518; βρ. δράκοντος ib. 1008; ταύρῳ βρ. ic. 1061; βρ. λόχος Αἰήταο ib. 1308; βρ. μέλεσσι Quint. II, 465; IV, 461; V, 616; XI, 410; ὤμου ἀπὸ βρ. ib. XI, 71; ποσσὶν ὑπὸ βρ. ib. XII, 425; βρ. κάρτος Cyn. II, 76; βρ. βρύχημα ib. III, 36; βρ. φωνήν Orph. Arg. 821. Postremo notandum videtur illud Quinti: βριαρῷ ὑπὸ χείματι XIV, 263, gravissima hieme s. tempestate.

3. Ἑπταβόειος, immensi Ajacis clipei, qui septem coriis bubulis superpositis continebatur, attributum fixum: H, 220, 222, 245, 266, Λ, 545. Cynegeticorum autem scriptor per audacissimam ὑπερβολήν — πεδίον vocat ἑπταβόειον I, 217 i. e. aequor, quod fit densis supra caput sublatis urbem oppugnantium clipeis.

4. Ὀμφαλόεις, aliud frequentissimum clipei epitheton, umbilico ornatum significat: Z, 118; Λ, 259, 424; Δ, 448; Θ, 62; M, 161; N, 264; Π, 214; T, 360; X, 111; τ, 32; uno quidem loco jugi equorum, quo in medio eminentia quaedam fuit: Ω, 269. Posterioribus epicis non multum in usu est. Nicander singularem in modum ait: ἄρκτον ὑπ' ὀμφαλόεσσαν Alex. 7, quod varie interpretantur scholiastae (v. Schneider. p. 30 et 79), rectissime mea quidem sententia qui ὀμφαλόεσσαν dictum esse monent διὰ τὸ μέσον τὸν βόρειον πόλον περιέχειν. Idemque altero loco non minus mirabiliter junxit: σύκων αὐανθεῖσαν — πόσιν ὀμφαλόεσσαν Alex. 348, quod item variam invenit scholiorum interpretationem; mihi quidem per hypallagen dictum esse videtur pro: σύκων ὀμφαλοέντων, quae κάτω, ut ait scholiastes, τρύπας ἔχουσι δίκην ὀμφαλοῦ, δι' ὧν τρυπῶν ὁ ὀπὸς αὐτῶν ῥεῖ.

Cap. IV. De epithetis ignis.

1. Ἀκάματος, indefessus, apud Homerum notissimum est ignis indefessi epitheton fixum, qui, quamdiu est, quod consumere possit, ardere non desinit, E, 4; O, 598, 731; Π, 122; Σ, 225; Φ, 13, 341; Ψ, 52; υ, 123; φ, 181. Ab insequentibus autem epicis fines hujus usus multo longius prolati sunt. Hesiodus quidem in una Theogonia hoc adjectivo usus plerumque de aliis rebus atque Homerus posuit, velut de indefessa Musarum voce v. 39 et de coelum tenentibus Atlantis manibus v. 519, 747; Empedocles de diuturno ventorum adversorum flatu v. 426; multo saepius Apollonius, qui vocem conjunxit cum nomine μένος II, 275; ἐλάται ib. 661; Ἔρωτες III, 765; ποταμὸς ἀκαμ. perennis, III, 1030; (Homerus fluvium ἀκάμαντα dicit Π, 178); αἰὼν ἀκάμ. i. e. immortalis IV, 1656; πόδες ἀκ. IV, 1687; etiam cum hominis nomine: ἀροτήρ III,

1343. Atque apud hunc poetam est, ubi ἀκάματος ad significationem primariae notioni affinem accedat, potissimum duobus ultimis, quos adscripsi, locis; sed apud Quintum prorsus ingentis notionem saepissime obtinet, praesertim quum de diis et heroibus epitheto utitur: de Jove I, 154; II, 380; III, 130; IV, 56; VIII, 223 etc.; de Marte I, 55; XIII, 99; de Minerva XII, 152; de Titanibus III, 394; X, 199; XIV, 550; de heroibus, inprimis de Achille II, 4, 403; III, 759; IV, 183; XII, 77; XIV, 127; firmissimi notionem, quum de rebus, potissimum de armis ponitur: ἔντεα ἀκ. V, 224; ἀσπὶς ἀκ. V, 28; VIII, 348; XI, 407, 478. Ex reliquis, ceterum a Koechly ad II, 523 et V, 182 diligenter collectis, locis, quibus vocabulum ἀκάματος apud Quintum legitur, paucos memoratu dignissimos eligam: ἀκαμάτοιο κατέρχεται Οὐλύμποιο I, 48 i. e. de altissimo monte, ut qui supra nubes caput extendat; ἀκαμάτου πείρατα χθονός II, 118; ἠχὴ δ' ἄσπετος ὦρτο δι' αἰθέρος ἀκαμάτοιο III, 507, quibus locis nescio an ἀκάματος idem valeat, quod ἀπειρέσιος, nisi forte propriam naturae elementorum vim declarat i. e. priore loco nunquam fruges proferre desinentem terram (cf. illud Sophocleum: ἀκάμας γῆ Antig. 340.); altero longe lateque vacua explentem aëra.

2. Μαλερός, vehemens, fortis. Quod sunt qui a μαλός i. e. λευκός ducendum censeant, sed praestat ad adverbium μάλα revocare. Apud Homerum quidem semper nomini πῦρ adhaeret: I, 242; Υ, 316; Φ, 375; item apud Hesiodum Scut. 18 et Apollonium (I, 734, 1297; IV, 393, 834.) Neque Quintus Sm. longe recedit ab usu Homeri, quum Vulcano hoc epitheton attribuat: ἀϋτμὴ — Ἡφαίστου μαλεροῖο III, 711; IV, 190; XIII, 150; — ἀϋτμαὶ Ἡφαίστου μαλ. XIII, 330, quibus locis dei nomen appellativi locum tuetur. In Cynegeticis autem quaevis res violentae sic appellantur praeter ignem: ὀϊστοί II, 423; πυρόεσσα ἐνιπή III, 380; βέλος ib. 400; μόθος IV, 190.

Cap. V. De aquae epithetis.

1. Διϊπετής ab Homero non attributum est nisi fluviis, et semper quidem hac verborum conclusione: διϊπετέος ποταμοῖο (in exitu versus), quod non delapsi a Jove i. e. pluviis et nivibus orti fluvii, ut Damm et Pape interpretantur, sed nati a Jove, aut saltem divini explicuerim, ut διϊπετής fere idem valeat, quod διοτρεφής vel θεῖος (cf. Hes. Theog. 342 θεῖον Σιμοῦντα; ib 345 θεῖον Σκάμανδρον). Deorum filios autem sane cogitatos esse fluvios, testis est Homerus, quum Jovem Scamandri patrem vocet (Ξ, 433; Φ, 2; Ω, 693.); testis est Hesiodus, quum nobilissimos fluvios oriundos faciat ab Oceano Theog. 337. Homericis verbis διϊπετέος ποταμοῖο etiam Hesiodum semel usum esse, docemur a scholiasta Apoll. Rhod. I, 757. Apud Quintum genetivum legimus plurativi numeri: διϊπετέων ποταμῶν VIII, 168. Verum apud alios aliis nominibus hoc epitheton junctum reperitur. Apud Empedoclem impeditissimo in loco Karsten posuit v. 283 κλεψύδρης — διϊπετέος χαλκοῖο pro iis, quae Bekker scripsit: δι' εὐπετέος χαλκοῖο, sed vereor, ne nondum expeditus sit locus. Quid enim hic διϊπετής sibi vult? Karsten nimirum hoc accipit pro λαμπρός, καθαρός; quo jure, ego non video. In Lithicis Orphei πνεῦμα οὐρανίων appellatur διϊπετές i. e. divinum. A Nonno denique iis rebus, quae a Jove originem trahunt vel ad eum referuntur, appositum

videtur: *δίιπετέες κεραυνοί* II 480; *διιπετέων ὑμεναίων ὄγκῳ θλιβομένη, Σεμέλης κυμαίνετο γαστήρ* VIII, 6; *Σεμέλης διιπετέος — εὐνῆς* XXI, 171.

2. **Δινήεις**, verticosus vel se volvens in alveo, nisi de fluviis profundis ab Homero non positum est, maximeque de Scamandro: Β, 877; Ε, 479; Ξ, 434; Φ, 2, 125, 206; Χ, 148 etc. Quem usum imitati sunt de posterioribus epicis Hesiodus Theog. 337; Antimachus fragm. 62; Apollonius I, 36; II, 168, 355, 401, 551, 596; Oppianus Hal. I, 632, de mari; Orpheus Arg. 794. Non imitatus est Quintus, apud quem *δινήεις* a primaria notione substantivi *δίνη*, qua est circulus, repetitam rotundi significationem adscivit, ut V, 10 *ὁππόσα δινήεντα κατ' οὐρανὸν ἀμφιφέρονται* et VI, 109 *ὑπ' ἄξονι δινήεντι*.

3. **Ἰοειδής**, violae colorem referens, violaceus, nigricans, ab Homero nisi nomini *πόντος* non junctum est: Λ, 298; ε, 56; λ, 107. Hesiodus non solum *πόντον* Theog. 843, verum etiam fontem *κρήνην* ib. 3 hoc epitheto appellat. Nicander exhibet: *ἰοειδέα λοίγον* Ther. 243 ed. Schneider. et *ἰοειδέϊ κέντρῳ* ib. 886, sed utroque loco vox ab *ἰός*, venenum, repetenda et Bentlejo et F. S. Lehrsio ducibus *ἰωδέα* et *ἰωδέϊ* scribendum videtur. Oppianus ad Homeri usum accessit, quum diceret *ἄλμης ἰοειδέος* Hal. V, 103; discessit ab eo, quum *νεφέλην ἰοειδέα* appellaret I, 43.

4. **Ἰχθυόεις** apud Homerum est piscosus, ad exemplum sexcentorum in — *όεις* et — *ήεις* desinentium abundantiamque quandam notantium adjectivorum, et plerumque maris epitheton: vocis *πόντος* I, 4; Π, 746; Τ, 378; δ, 381, 390, 470; *Ἑλλήσποντος* I, 360; *κέλευθα* γ, 177; semel Hylli fluvii Υ, 392. Similis usus est hymn. Hom. 27, 9; Orph. Arg. 340. 718, 1042; Quint. IX, 172, 444. At contra Nicander, Oppianus, Cynegeticorum scriptor, Musaeus, Homeri usu et propria vocis significatione fere semper neglecta, pro *ἰχθυινός* vel *ἰχθυηρός* ea utuntur. Quos in transitu memoratum sit omnino justo minus terminationis — *όεις* vim ac potestatem curare, id quod infra in usu epithetorum *νιφόεις*, *ἀμπελόεις*, aliorum, cognosci licet. Nicander ait *γευθμὸς ἰχθυόεις* Alex. 468; Oppianus, excepto uno loco Hal. V, 678, quo ad Homeri exemplum dicit; *ἰχθυόεσσα θάλασσα* — *βίον ἰχθυόεντα* i. e. *ἰχθύων* Hal. I, 6; *γένεθλα ἰχθ.* ib. 449; *θήρην ἰχθ.* ib. 666; *ἄγρην ἰχθ.* ib. V, 372; *ἐνυώ ἰχθ.* II, 256; *δέμας ἰχθ.* III, 548; Cynegeticorum scriptor *ἰχθυόεις ὅμιλος* II, 389; Musaeus *ὀδμὴ ἰχθυόεσσα* — *θαλάσσης* v. 270.

5. **Κελάδων**, strepens, in Homeri carminibus est aquae epitheton: *ῥόος κελάδων* Φ, 16; *πὰρ ποταμὸν κελάδοντα* Σ, 576; *κελάδοντ' ἐπὶ οἴνοπα πόντον* β, 421; pariter apud Apollonium I, 501; IV, 133; Oppianum Hal. V, 215; Coluthum v. 6; Quintum IV, 158; X, 145, 171; sed ab hoc de ventis quoque positum est, ut III, 751 *Ζεφύρῳ κελάδοντι*; IV, 553 *Νότου κελ.*; VIII, 243 *Βορέῃ κελ.*; jam antea a Cynegeticorum scriptore I, 106: *κελάδοντος ἀήτου*.

6. **Πολύκλυστος** ab Homero nisi voci *πόντος* non jungitur: *πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ* δ, 354; ζ, 204; τ, 277, ubi interpretandum est: valde adluens. At jam apud Hesiodum passivam significationem induit, quum de Cypro insula ponitur Theog. 199; itidem apud Apollonium, qui valles Ossae et Olympi hoc epitheto appellat I, 597; apud Quintum IV, 370 *ἀπὸ Σκύροιο πολυκλύστοιο*.

7. **Πολύφλοισβος**, magno fremitu strepens, apud Homerum est celebratissimum unius maris epitheton: *πολυφλοίσβοιο θαλάσσης* A, 34; B, 209; Z, 347; I, 182; N, 798; Ψ, 59; ν, 85; peraeque apud Hesiodum Op. 648 et Orpheum Arg. 333, Lith. 516. Accedit ad hunc usum Nicander, quum Choaspem, Indiae flumen, semel hoc epitheto appellet Ther. 890; discedunt ab eo Oppianus et Tryphiodorus, quorum ille ad litora (*ἠϊόνας*) Hal. III, 454, hic ad bellum tumultuosum vocem transfert v. 560.

Cap. VI. De terrae epithetis.

1. *Χυτός* candem, quam latinum fusus, varietatem intellectus complectitur, ut infra videbimus. Sed apud Homerum, qui nisi de tumulo *χυτὴ γαῖα*, ut jam Aristarchus notavit (v. Lehrs. Aristarch. p. 109), non dicit Z, 464, Ξ, 114; Ψ, 256; γ, 258, tantummodo aggesti notionem habet; peraeque apud Apollonium *χυτὴν ἐπὶ γαῖαν ἔθεντο* IV, 1536 et apud Quintum *χυτὴ γαῖα* I, 109; III, 464, 573; VII, 656, ex quo efficitur, etiam *χυτὸν σῆμα* X, 6 non late effusum, quod vult Theod. Fischer in dissertatione de differ. etc. p. 12, sed aggestum tumulum explicandum esse, quum praesertim *σῆμα χεῖν* de fundendo tumulo frequentetur. *Γαῖαν — χυτήν* etiam Tryphiodorus v. 349 exhibet, sed, ut verborum contextus docet, alio intellectu, quoniam terram infra pedes sitam et quasi effusam significat. Apud Nicandrum et Oppianum modo liquidi, modo late fusi significationem epitheton *χυτός* induit; hanc Nic. Alex. 116 *χυτῇ — πίσσῃ* et Oppian. Hal. I, 413 *χυτὸν ὕδωρ*, cui conferendum est *ὑγρὸν ὕδωρ* (Odyss. δ, 458); — illam Nic. Ther. 391 *μαράθοιο χυτὸν ἔρνος*, fusa virgulta; ib. 503 *χυτὴ χαίτῃ*, quod par esse videtur Homerico *θαλερὴ χαίτη* P, 439; — Ther. 546 *χυτῆς παρὰ τέλσον ἀλωῆς*; Cyneg. IV, 111 *ἀμφὶ χυτὴν Λιβύην*, fortasse: arenosam Libyam.

2. *Ἠλίβατος* apud Homerum uni substantivo *πέτρῃ* adhaeret: O, 273, 619; Π, 35; ι, 243; κ, 88; ν, 196, atque excelsum significat; pariter hymn. Hom. in Mercur. 404; hym. Hom. 18, 10; Hes. Theog. 786; Scut. 422; Orph. Arg. 264, 708, 1206; Quint. V, 243. Aliis nominibus, sed eodem, quo apud Homerum, significatu junctum est Hes. Theog. 483 *ἄντρῳ ἐν ἠλιβάτῳ*, in excelso antro; de montibus eorumque cacuminibus: Apoll. Rhod. I, 739; II, 169; IV, 144; Quint. II, 183; II, 283, 379; VIII, 65, 198; XIV, 490. Apoll. II, 361 *ἠλιβ. ἄκρῃ*; ib. 729 *κρήμνοισιν ἠλιβάτοισιν*; ib. 1248 *ἠλιβ. — ὀρέων ἐρίπναι.* Nic. fragm. XXVI, 4 *ἠλιβάτου ἀκτῆς*; Orph. Arg. 2 *ἠλιβάτου κορυφῆς πέτρην.* Quint. X, 200 *Καυκάσου ἠλιβ.* — ib. I, 696. *ἠλιβ. σκοπιῆς.* Mus. 210 *ἠλιβ. πύργον* cf. 256, 339; *ἀπ' αἰθέρος ἠλιβ.* Quint. II, 603. — *κατὰ τείχεος ἠλιβάτοιο* VII. 499. His igitur locis omnibus excelsi notio voci *ἠλίβατος* subjecta est, sed in perlongi vel vasti notionem transire videtur hisce duobus: Quint. VII, 450 *καὶ ἠλίβατόν περ ἐοῦσαν ῥηϊδίως ἀνάειρεν* scil. *Πηλιάδα* (hastam Achillis), quod Koechly conjecit; tum Oppian. Hal. V, 66 *μέλεσσιν ἠλιβάτοις* de vastis beluarum marinarum corporibus. Ad ultimum ab Oppiano semel et a Nonno nonnumquam hoc epitheton profundi sensu de aqua positum est: Oppian. Hal. III, 171 *ἠλίβατα πελάγη*; Nonn. I, 285: III, 205, aliis locis, quos Theod. Fischer collegit p. 6.

Cap. VII. De montium epithetis.

1. Νιφόεις, tantum montium nivibus oppletorum epitheton apud Homerum: ὄρεϊ νιφόεντι N, 754; Θρηκῶν ὄρεα νιφ. Ξ, 227; Κρήτης ὄρεα νιφ. τ, 338; Οὐλύμποιο νιφ. Σ, 616; Τμώλῳ ὑπὸ νιφόεντι Υ, 385; peraeque apud plerosque insequentium poetarum: hymn. Hom. in Apoll. 282; hym. Hom. 14, 7; 18, 6; Hesiod. Theog. 42, 62, 118, 794, 953; Callim. in Delum 93; Apoll. Rhod. I, 504, 1099; III, 1223; Oppian. Hal. I, 622; Orph. Arg. 1291; Quint. I, 293; VIII, 80. Apud Nicandrum autem est, ubi niveum colorem significet, ut Alex. 252 ὀπῷ νιφόεντι χράδης. Ther. 291 νιφόεντα κεράατα scil. αἱμοῤῥόου; ib. 881 νιφόεν σκύλλης κάρη, nec tamen excluso Homerico usu: Ther. 145, 440, 502 — 958 Κλάρου νιφόεσσα πολίχνη.

2. Αἰγλήεις apud Homerum constans est Olympi, ultra nubes eminentis Macedoniae montis, epitheton hoc verborum complexu: ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου (in clausula versus), ubi αἰγλήεις fulgidum i. e. aliena luce collustratum denotat. Postea autem de rebus dicitur, quae suo fulgent lumine, velut de astris phaenomenisque coelestibus: Ἠὼς αἰγλ. Apoll. Rhod. I, 519; Quint. I, 826; στάχυν αἰγλ. quae stella est in Virgine astro Arat. Phaen. 97; βόες αἰγλ. Σελήνης Nonn. I, 222; αἰγλ. Ὀφιοῦχος ib. 245; cf. Σελήνη ζευξαμένη πώλους αἰγλήεντας hymn. Hom. 32, 9; de auro Quint. V, 623 χρυσὸν αἰγλ. Apoll. Rhod. IV, 1142 χρύσεον αἰγλ. κῶας; de gemmis αἰγλ. σμάραγδον Orph. Lith. 608; de cerussa Nic. Alex. 74; de oculis Cyn. 3, 26. Apud Nicandrum, ubi chamaeleon planta αἰγλήεις Ther. 636 τῷ ὀρφνῷ oppositum vocatur, album videtur designare. Postremo notanda est translata attenuataque potestas, quae ad pulchrum, praeclarum prope accedit; cf. Orph. Arg. 1203 αἰγλήεντα τέρεμνα, splendidae domus, et Cyn. 3, 3: αἰγλ. ἰορκούς. —

3. Πολυδειράς, alterum perpetuum Olympi attributum, translato quodam modo significatu; mons enim non potest dici multa habere colla, sed cacumina. Propria autem vocabuli vis cernitur apud Quintum VI, 212 et Nonnum II, 380, quorum ille hydram Lernaeam, hic Typhoeum hoc epitheto insignivit.

Cap. VIII. De uno lapidum epitheto.

Τρηχύς, asper, ab Homero lapidi et rebus saxosis attributum est: voci λίθος E, 308; H, 265; Φ, 404; ἀκτή ε, 425; ἀταρπός ξ, 1; Olizoni, Thessaliae oppido B, 717; ad extremum Ithacae insulae ι, 27; κ, 417; ν, 242. Idem usus etiam apud insequentes epicos invenitur: hym. Hom. in Apoll. 285; in Merc. 273; Apoll. Rhod. II, 375, 550, 568; Nicand. Ther. 146, 217; Cyn. I, 20; Orph. Arg. 181, 757; Lith. 768; sed saepius de aliis rebus hoc epitheton dicitur, et, quod notandum est, translata significatione etiam de iis, quae non cadunt sub tactum, jam ab Hesiodo: ὑσμίνη τρηχεῖα Scut. 119. τρηχὺς ἄεθλος Callim. fragm. a Graevio collect. XXIII, 3; τρηχὺν ἔρον Apoll. I, 613; τρ. γάμον Oppian. Hal. I, 529; τρ. ἀλκήν ib. V, 201; τρ. ἔρως Cyn. II, 187. — τρ. βουλή Tryph. 250; τρ. ἠχήν ib. 320; propria significatione, sed de aliis rebus, atque apud Homerum, Apoll. II, 33 χαλαύροπα τρ. ib. 71. τρ. κῦμα θαλάσσης. Oppian. Hal. II, 184 τρ. κῶλον; Cyn. II, 381 τρηχυτάτῃ χαίτῃ; ib. III, 395 τρ. ἐθείραις i. e. aculeis erinacei;

postremo etiam de bestiis quibusdam, ut de serpentibus Nic. Ther. 151; de erinaceo Oppian. Hal. II, 360; de testudine ib. V, 404.

Cap. IX. De metallorum epithetis.

1. Ἀτειρής a τείρω descendens proprie eum, qui non conteritur i. e. non debilitatur, significat, unde duri et firmi significatio. Apud Homerum frequentissimum est nominis χαλκός epitheton, quod modo aes Σ, 474; T, 233; Υ, 108; ν, 368; modo res ex aere fabricatas designat, ut E, 292; H, 247; Ξ, 25; sed praeterea etiam translato sensu, de indefessa voce dicitur N, 45; P, 555; X, 227; ad ultimum semel de bellatoribus O, 697. Ex posterioribus epicis saepissime Quintus hoc adjectivo usus est, et eadem quidem vi ac potestate, qua ἀκάματος, non solum de rebus — ut maxime memorabilia exempla adscribam: ἀτειρέος ἠελίοιο, non lassandi solis i. e quotidie orientis et occidentis II, 2; VII, 230; ἀτειρέος Ὀλύμπου II, 176, 424, ut qui firmis insistat radicibus; ἀτ. ἀῆται III, 717, indefessi venti; — verum etiam de diis: ἐπουρανίοισιν ἀτ. VII, 687; μακάρεσσιν ἀτ. II, 131; XIII, 546; Ἄρτεμις ἀτ. I, 663; Ἄρηϊ ἀτ. X, 170; de Gigantibus II, 518; III, 725; de heroibus II, 493; VII, 131.

2. Πολύκμητος, apud Homerum de ferro potissimum positum Z, 48; K, 379; Λ, 133; ξ, 324; φ, 10, semel de thalamo δ, 718, multo labore fabricati, elaborati significationem habet; item apud Apollonium IV, 1133; πολυκ. ἑλαίης; ib. 1189 πολυκμήτους ἑανούς; et apud Quintum VIII, 397 τειχῶν πολυκ.; IX, 476 πολυκ. ἐν ἀλωῇ; XI, 310 πολυκ. ἀπὸ γόμφων. Multo saepius autem apud posteriores laboriosi notionem induit, i. e. multum laboris afferentis Oppian. Hal. II, 504 πολυκ. ἀέθλοις; Quint. VII, 20 πολυκ. Ἄρηϊ; πολέμοιο πολυκ. ib. 424; Tryphiod. 1.; tum multum laborantis Quint. III, 203 ἀνδρὶ πολυκ.; IX, 173 πολυκ. ἀλιῆες; denique V, 649 σῶμα πολύκμητον χάδε γαῖα i. e. corpus multis laboribus defunctum excepit terra. —

Gustav Kopetsch.